

SCRIPTA

Numéro Scripta : 5456

Auteur(s) : Eustache le Cordelier, Coutances (évêque)

Bénéficiaire(s) : Coutances (chapitre cathédral)

Genre d'acte : vidimus

Authenticité : non suspect

Datation : 1288, 13 septembre

Lieu d'émission : Coutances

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

L'évêque de Coutances Eustache [le Cordelier] vidime l'accord passé le 10 mai 1288 entre le prieuré de la Madeleine de Rouen et le chapitre de Coutances à propos des dîmes des noales de la forêt de Brix.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Fontanel Julie, *Le cartulaire du chapitre cathédral de Coutances*, Saint-Lô, Archives départementales de la Manche (Sources inédites sur l'histoire du département de la Manche ; 1), 2003, n° 250, p. 389.

Texte établi d'après a

Universis hec visuris, frater E[ustachius], permissione divina Constantiensis ecclesie minister humilis, salutem in Domino. Cum olim inter viros venerabiles capitulum nostre Constantiensis ecclesie predictae ex parte una et religiosos viros priorem et conventum domus Dei Beate Marie Magdalene Rothomagensis, ordinis sancti Augustini, ex altera, orta fuisset, ratione decime novalium de Mesnilleio Auvair in foresta de Bruiz, nostre Constantiensis diocesis, quam utraque pars ad se pertinere dicebat, materia questionis tandem inter partes predictas concordia amicabile sub certa forma in litteris curie nostre Constantiensis expressa nobis exhibitis intervenit, die lune post festum beati Michaelis in Monte Gargano ultimo preteritum, que est talis :

« Universis hec visuris, officialis Constantiensis, salutem in Domino. Noveritis quod in nostra presencia constitutis, magistro Guillelmo Henrici clerico, procuratore virorum venerabilium capituli Constantiensis ecclesie per litteras procuratorias sigillo dictorum capituli sigillatas, quarum tenor talis est :

« Universis hec visuris, humile capitulum Constantiensis ecclesie, salutem in Domino sempiternam. Noveritis quod nos dilectum clericum nostrum magistrum Guillelmum Henrici constituimus et facimus procuratorem nostrum in omnibus causis et negociis nostris quas habemus vel habituri sumus contra quascumque personas, coram quibuscumque iudicibus ecclesiasticis aut secularibus, dantes eidem potestatem agendi et defendendi, componendi, compromittendi, compromissum juramento seu peccuniaria pena eciam usque a quingentas libras vallandi, compromissarios vel arbitros eligendi, jurandi de calumpnia seu de veritate dicenda et omnia alia et singula faciendi que potest et debet facere procurator legitime consti[tu]tus, ratum habituros et gratum quicquid idem procurator egerit in premissis, promittentes sub ypotheca rerum nostrarum iudicatum solvi. Quod omnibus et singulis quorum interest aut interesse potest sigificamus per presentes litteras sigilli nostri munimine roboratas. Valet. Datum anno Domini M° CC° octogesimo octavo, die martis post Resurrectionem Domini », ex parte una, et magistro Roberto dicto Paen clerico, procuratore virorum religiosorum prioris et conventus domus Beate Marie Magdalene Rothomagensis per litteras ipsorum religiosorum veris sigillis sigillatas. Quas litteras et sigilla

eisdem appensa approbavimus, palpavimus et vidimus diligenter decernentes dictum magistrum Robertum sub forma et pena infrascriptis se posse consentire nomine dictorum religiosorum ordinationi inferius annotate, quarum litterarum tenor talis est :

« Omnibus hec visuris, frater Henricus, humilis prior domus Beate Marie Magdalene Rothomagensis, ejusdemque loci conventus, salutem in Domino sempiternam. Notum facimus quod nos constituimus, facimus et ordinamus, unanimi et gratuito concurrentes assensu, dilectum nostrum magistrum Robertum dictum Paen, clericum nostrum, exhibitorem presentium, procuratorem nostrum generalem, tam pro nobis quam contra nos, in omnibus negociis et causis nostris motis et movendis contra quascumque personas ecclesiasticas et seculares, coram quibuscumque iudicibus ordinariis, delegatis, subdelegatis, auditoribus, executoribus, arbitris, arbitratoribus, amicabilem, compositoribus, conservatoribus et aliis quibuscumque jurisdictionem habentibus et potestate fungentibus, quocumque nomine censeantur, dantes eidem procuratori nostro potestatem generalem et mandatum speciale agendi pro nobis et domo nostra predicta nosque et domum nostram predictam defendendi, pacificandi, transigendi, componendi, compromittendi, compromissum fide et pena vallandi et maxime super fructibus decimalibus garbarum excrescentibus et qui excreverunt in quibusdam certis locis et certificandis, si necesse fuerit, existentibus in foresta de Bruis, Constantiensis diocesis, et qui excrescent et excrescere poterunt in futurum in locis predictis, super quibus fructibus contencio, controversia, seu causa movetur ac etiam moveri posset in posterum inter nos ex una parte et viros venerabiles et discretos capitulum Constantiense et quoscumque alios, et altera et omnia alia et singula faciendi que potest et debet facere procurator canonice et legitime constitutus et que faceremus et facere possemus, si presencialiter interessemus, ratum et gratum habituros quicquid per dictum procuratorem actum fuerit in premissis, promittentes sub ypotheca rerum domus nostre predictae pro ipso procuratore, si necesse fuerit, iudicatum solvi. In quorum testimonium presentibus litteris procuratoriis sigilla nostra duximus apponenda. Actum et datum Rothomagi, die martis ante Nativitatem beate Marie virginis, precedente anno Domini M° CC° octogesimo octavo, die precedenti », ex altera, habentibus inter cetera potestatem compromittendi et alia faciendi, prout superius est expressum, nominibus dominorum suorum predictorum et nomine procuratorio eorumdem, consenserunt se concordis et tractatui infrascriptis ; si contingat quod dicti religiosi contra viros religiosos abbatem et conventum de Ceraseio possint obtinere, super quadam contentione quorundam fructuum decimalium garbarum novalium excrescentium in quibusdam locis in foresta de Bruis que vertitur inter dictos religiosos de Ceraseio ex una parte et ipsos religiosos de Sancta Magdalena ex altera in curia laicali, et ab eisdem religiosis de Ceraseio evincere, quod in dictis decimis in tribus mesteriis, de quibus erat contencio inter dictos capitulum et religiosos de Magdalena, contendunt se habere dicti religiosi de Ceraseio, dicti capitulum, pro bono pacis inter eos reformande, sustinent quod dicti religiosi de Magdalena et eorum successores decetero percipient et percipere poterunt in futurum terciam partem dictorum fructuum, necnon et aliorum fructuum bladum novalium que excrescere poterunt in futurum in predictis tribus locis seu mesteriis dicte foreste, in quibus percipiunt et percipere consueverunt, ut asserunt, decimam aliorum fructuum dictis religiosis de Magdalena diucius concessorum, acto expresse quod dicti capitulum percipient decetero et in perpetuum duas partes dictorum fructuum presencium et futurorum in locis superius nominatis et aliis ubicumque in dicta foresta, sine impedimento dictorum religiosorum de Magdalena et eorum successorum, et quod ipsi religiosi de Magdalena ipsos capitulum super hoc nullatenus infestabunt, tali conditione apposita quod, si contingat dictos religiosos de Magdalena subcumbere contra dictos religiosos de Ceraseio super contentione predicta in dicta curia laicali, quod dicta concordia nullius erit momenti et quod per hoc dictis capitulo et religiosis de Magdalena nullum prejudicium generetur, sed remaneant ex nunc cause pendentes inter eos in eodem statu in quo sunt, quousque illa contencio inter ipsos religiosos de Magdalena et religiosos de Ceraseio fuerit terminata ; et tenentur ipsi religiosi de Magdalena facere et procurare dictas duas partes decimarum dictorum novalium ad ipsos capitulum spectantes in manu domini regis arrestatas dearrestari, ac etiam liberari in hoc instanti scacario Rothomagensi, vel saltem in secundo scacario, sive evincerint sive non, et sive pendeat lis inter eos sive non, cessare de molestando dictos capitulum super perceptione duarum partium predictarum. Huic concordie consenserunt dicti procuratores, nominibus quibus supra, anno Domini M° CC° octogesimo octavo, die lune post festum sancti Michaelis in Monte Gargano, promittentes hinc et inde coram nobis, nominibus procuratoriis dominorum suorum predictorum, se presentem concordiam sub forma predicta fideliter servaturi sub pena ducentarum librarum tur. apposita hinc et inde, solvenda a parte que contra venerit alteri parti parenti et parere parate concordie memorate ; et nos dictos procuratores in personas dictorum dominorum suorum et dictos dominos in personas dictorum procuratorum se quoad hec omnia et singula supponentes, nominibus quibus supra, jurisdictionis nostre spontanee coram nobis ad hec tenenda fideliter et implenda, alteram partem alteri parti in hiis scriptis condemnamus. In cujus rei testimonium, sigillum Constantiensis curie ad petitionem dictorum

procuratorum presencium coram nobis presentibus duximus apponendum. Valet. Actum et datum de consensu dictorum procuratorum ad hoc presencium coram nobis, anno et die lune predictis ».

Nos igitur prenotate concordie nostrum prebentes assensum, eam sicut rite et canonice facta est ratam habentes et gratam auctoritate ordinaria confirmamus. Hec omnibus quorum interest cum assensu procuratorum dictarum parcium significantes per presentes litteras sigilli nostri appensione munitas in testimonium rei geste. Actum et datum Constantiis, die lune post festum beate Marie Virginis, anno Domini millesimo ducentesimo octogesimo octavo.